







53  
37.  
DISSERTATIO ACADEMICA  
DE

**LUMBRICIS TER-  
RESTRIBUS EORUM-  
QUE USU MEDICO,**

*Quam*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,**

ELECTORATUS BRANDENBURGICI HÆREDE,  
&c. &c.

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,  
SUB PRÆSIDIO

**DN. GEORGII ERNESTI STAHL,**  
MED. D. ET PROF. PUBL. ORDINARIÏ,

*Dn. Patroni & Præceptoris sui omni ob-*

*servantiæ cultu prosequendi,*

Publicè ventilandam proponit

**JOHANNES CHRISTOPHORUS FRITSCHIUS,**

SCHWARZBURGICUS

*Ad d. Decemb. M DCXCVIII. Horis antemeridianis.*

---

RECUSA HALÆ MAGDEBURGICÆ,

LITERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP. 1718.



77

DISSERTATIO ACADEMICA

LUMBRICIS TER-  
RESTRIBUS FORUM-  
QUE LUM. MEBICO,

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO MORTIS LUM. DOMINO

DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,

RECTORI ACADEMIAE MEDICAE HEBERD.

CAESARIS AUSTRIAE ET BOHAE REGIS  
CONSILIARI

DR. GEORGII ERNESTI STAHLII

MED. D. D. PROP. P. O. B. N. A. R. I. I.

DR. JOHANNIS CHRISTOPHORII FRITSCHII

Publici valedictiois propositio

JOHANNES CHRISTOPHORUS FRITSCHIIUS

SENIORIS ACADEMIAE

M. D. C. C. C. L. X. D. O. R. C. H. E. I. I. I. I. I. I.

RECTORI ACADEMIAE MEDICAE HEBERD.

FRIDERICO WILHELMO







I. N. 7.

## PROOEMIUM.



Admiranda Omnipotentis, Sapientissimi, Benignissimi Dei, & potentia, & providentia atque clementia, non saltem è vastissimorum totius universi molium, stupenda efformatione & compage, menti humanæ sese ingerit, eam-

que ad devotissimam tam immensi artificis venerationem suscitatur; sed est omnino summe admirabilis etiam in minimis, Deus, neque fere minutissima in universo hoc efformata, & mutuo nexu, variæ necessitatis vel utilitatis inter se devincta corpora, absque summa admiratione, & inimitabilis artificii reverentia, ab intelligente homine aspici possunt. Præcipue vero in Viventium genere, multa, imò innumera, talia producta videre licet, quorum partim mirabilis constructio, conservatio partim eximius, & nobilissimus usus, sæpe supra ullam quantævis Sapientiæ humanæ suspensionem, iisdem insertus, sanam certe mentem non potest non venerabunda admiratione afficere.

Immensum sit vel multas hujus census species enarrare; vel è numerosis illis, pauciores, sed insigniores

A 2

de-



designare: vel paucissimas quoque, cum manifestatione ipsarum summæ, & vulgo hominum propemodum incredibilis efficaciam, percensere.

Selegimus è tanto exercitu unicum saltem, ut communissimum, ita fere vulgo contemptissimum, animalculum, cujus vix aspectum aut contactum sine dedignatione, tota mortalium rudior turba tolerat: admirandam efficaciam adversus pathema corporis humani, non sine magno horrore & consternatione vulgo conspiciendum, tacite venerantur, & mirantur scientes.

Animalculum intelligo, de reptilium, & vulgò vocant Insectorum, genere: **LUMBRICOS** ita dictos **TERRESTRES**.

Horum, medicam tamen præcipuè, historiam, atque ad certos affectus partim decantatam, partim quotidiana experièntiâ comprobata, insignem utilitatem atque efficaciam, pro themate Exercitationis medicæ suscepisse, tantum abest, ut pudere nos debeat, ut potius apicem nostræ assertionis exinde recte assequentes, & magnum operæ pretium facturos, & hunc nostrum conatum nullatenus contempturos esse confidamus.

Faxit Deus T. O. M. ut inde sub sui nominis gloria, proximi emolumentum promoveatur.

CAP. I.

**Lumbricorum Terrestrium Gene-**

rationis, & reliquæ propriæ constitutionis,  
Historia.

**L**UMBRICOS TERRESTRES vocant usitatorè nomine Medici & Pharmacopœi, quos vulgus *Vermes terrestres*, aut vernacula appellatione, *Vermes Pluviales*, *Regenwürmer*, *Erdwürmer*, denotant. Græco nomine *Dio-*



*Discorides* γῆς ἐντρέα vocat. *Paracelsus*, ut fere in multis rebus peregrinis vocibus delectatur, ita hic etiam, *Meloes* vocabulo animalculum hoc designat. *Monardes* non multo magis usitato nomine *Oniscos* appellat, nisi fortè *Afellor* potius ibi tractet; nec enim ad manus est locus: uti nec in *Paracelso* æque occurrit scrutantibus hæc appellatio, quam tamen ex ipso *Schroederus* Lib. V. Cap. 508. & *Möllenbrock* de *Varis*, pag. 240. citant.

Præter nominis descriptionem, historiam quoque generalem, & exteriorem eorundem faciem *Fontanus* H. N. de *Insect.* Lib. III. c. 3. & *Petrus Uffenbach*, in *Dispensat.* Galeno Chymico sistunt. Describunt nempe *reptile animalculum, corpore oblongo, rotundo, nihil ossi continente, oculos nullos, nullas etiam aures habens, nullos pedes vel alios artus.* Distinctum saltem conspicitur corpus velut *annularibus* quibusdam discriminibus, quæ internodiâ quasi quædam elatiora & colore quoque candidiore spicua, ambiunt, non hæc tamen absolute in omnibus individuis.

Cum progrediuntur, apparet alterutra saltem extremitas corporis, non nihil proserpere, & mox totam reliquam ejus portionem post sese trahere. Interim notatu non indignum visum est *Eydio* apud *Steph. Blancardum* im *Schau-Platz der Raupen* etc. quod hi vermes, ut *amphisbena* quædam species, versus utramque sui extremitatem ita reperere & oppositam alteram post sese trahere, valeant. Confirmat id observatione duplici, altera d. 20. April. altera secuto d. 4. Maji & variis aliis temporibus facta, quod in horto, subsecuta pluviam serena tempestate conspexerit vermem è terra egredientem, qui parte anteriori candicans & exanguis, parte vero posteriore (ex ordine incessus) niger præ rubedine, seu lividus, apparebat; Postquam vero nihil edule inveniret, parte illa, quæ prius posterior progrediendi ordine fuerat, iterum in alium locum terræ introitum seu foramen impeerit. Et sic putat, partem posteriorem, quæ antea caudæ loco fuerit, jam pro capite ipsi inservisse.



Sed videtur minus necessariam consequentiam hic formare, quasi qua parte terram fodiat hoc animalculum, aut proferpat, illa necessario caput sit: quod non modo ex parte cancrorum exemplum eludit, caudæ beneficio, præcipue in aqua, non segnius retrorsum remigrantium, imò & in scrobes suos, ita retrorsum ingredientium, quam juxta capitis positum, alias antrorsum pedibus progrediuntur.

Sed est etiam manifesta structuræ diversitas inter hanc utramque lumbricorum Terrestrium extremitatem, quarum altera, quæ magis legitime capitis dignitatem tuetur, non modo rotundior, colore saturator, & manifestiore osculo, instructa apparet; proximè etiam versus ipsius regionem, annularis illa protuberantia, in quibus horum vermiculorum reperitur, perpetuo sita observatur: sed etiam hæc ipsa opposita, pro postica verius sese gerit, si nihil aliud, certè excrementa ejiciendo.

In corpulentioribus horum animalium individuis observantur etiam aliqui velut leves *aculei*, sive hispidae prominentiæ, quibus firmitus rebus, super quas serpunt, præcipuè subasperis, sese applicare, adeoque progressum suum promoveri queant. Prout etiam ipsæ annulares illæ corporis ipsorum distinctiones, ita inæqualiter ab antica capitis ipsorum regione, ad posticam seu caudam conformatæ deprehenduntur, ut si quis foraminibus suis maximam partem adhuc immerfos, capite prehenso extrahat, facile sequantur, contra verò postica sui parte prehensi, ita firmiter, quasi asperitate quadam terræ adhærescant, ut improvida tractatione faciliùs dirumpantur, quam evellantur.

Curiositate suâ, etiam exactiorem & intimiorem animalculi hujus structuram prosequi dignatus est *Willisus*, Tract. de *Anima Brutorum* cap. III. ubi non modò ad animalium sanguine præditorum classem *Lumbricos* reducere molitur, dum suberuento humore præditos, ipsius autopsiæ testimonio asserit: sed etiam variorum in ipsis viscerum ordinem, artificium, & usum, prolixius delineat & depingit, ejusque organa  
vita-



vitalia & alia viscera, divino utique artificio, admirabiliter fabricata esse, monet. Totam corporis compagem, (quod in pluribus Insectis solenne) muscutorum annularium quasi catenam esse, quorum fibræ orbiculares, sui contractione, quemque annulum angustiolem & longiolem reddant: Expansione vero sui, breviolem quidem, sed latiolem & ampliolem, efficiant &c. Totam anatomiam & structuram internam atque externam eorum, loco citato describit, & Tabul. IV. Fig. I. depingit. Incompletam tamen hanc indicat esse, & aliqua super addit, huc pertinentia, Francis. Redi, libello *observ. circa animalia vivencia, qua in animalibus viventibus reperiuntur*, e quo in Act. Lipsiens. 1686. pag. 48. & seqq. quædam excerpta habentur.

*Genera ipsorum duo recenset Jonssonius & Agricola.*

Unum longum, hoc de quo nobis est sermo; alterum parvum Ascaridibus simile. Priores, rubei, aut summum subpallidi sunt coloris, si sani; ægri vero & quasi semi mortui, flavo, & viridi atque livido, colore apparent. Parvos istos, modò candidi, modo lactei, modo nigri coloris esse, tradit *Agricola*: Assignat his, quod fata subruant, radiculis teneris absumptis. Quod quidem nostri majores non faciunt, sed innoxii sunt.

*Recepta* opinio est, quod pingui terræ limo sustententur; quod confirmare quoque videtur magna ejus quantitas intra corpus, & intestina ipsorum communiter reperibilis. Interim & succo aliquo è vegetabilibus profecto passci, non improbabile est, ex eo, quod præcipuè circa horum apices visitent; licet reverà radicibus uspiam adhærescere, aut easdem arrodere, vix ulla constanti experientia deprehendatur. Unde magis exsudante solùm aliquo è radicibus tali succo ipsos frui, probabile est.

Ventriculum lumbricis his dubium reddit *Hieron. Fab. ab Aquapendente*, Tract. de Ventric. pag. 47. & in illis vix quicquam huic analogum, nedum manifestum talem reperiri arbi-



bitratur: sed satisfacit Willisius: & notum est de omnibus liquido alimento magis absolute urentibus, quod nulla æque insigni structura ventriculus ipsorum à reliqua intestinorum compage distinguatur, nisi forte capacitatis & roboris majoris.

Sunt, præcipuè ex iis, qui antiquorum placita sequuntur, qui vermiculos hos etiam ex ipsa terra tali limosa immediate nasci arbitrantur; inter quos est ipse *Paracelsus* Opp. Chirurg. pag. 268 quemadmodum etiam *Kunkelius* in observ. suis, vario gradu caloric, è putrescente aquâ pluvîâ, aut rore majali, varias muscas & culices veluti immediate pronasci, suspicari videtur. Satisfecisse vero hujusmodi dubiis præcipue videtur *Rhedî, Steno, Lyster*, quicquid etiam *Bonanus* contrâ sentiat in *observat. circa animalia testacea.*

*Ceterùm* sententiam quoque suam de opinione *Borelli*, ac si animalcula quædam ipsa *arenosâ* terrâ immediate nutrirî possent, profert loco suprâ allegato citatus *Rhedî*.

Confirmat verò observationibus suis Lumbricorum Terrestrium *sexus* diversitatem, & i. sum *coitum*, Aldrovandus. Tangere se tantummodò, ait, plus quam dimidia fere corporis parte, atque ita arcte sibi invicem coherere, ut non nisi duriusculo calcatu & frictione pedum absistant. Videri autem, cum coeunt, velut unus saltem Lumbricus, in medio corporis paulò crassior ceteris esse.

*Schvvanmerdammius* in H. General. Insect. maturè fatis *femellas* à *masculis* discerni posse, ex *ovulorum* præsentia, oculis manifestissimè apparente. Ex his ovulis statim vermiculari sua forma, sine præcedente alia mutatione, vermiculos hos progigni. Coire tamen non æque facile observari, juxta suam experientiam candidè, addit.

Unde fere magis dubium fieri videtur, quod vulgo de *hermaphroditica* similium animalculorum natura statuunt, & lumbricis Terrestribus in specie applicat *Samuel Dale* in *Pharmacologia*, ubi describit, quod sint animalcula *hermaphroditica*, apoda, longa, &c.

Præ-



Præter substantiam illam, quam è terræ tenuiori limo de-  
vorant, *Salina nitrosa* quoque substantia pro alimento delecta-  
ri ipsos apparet ferè ex ipsorum emersione ad superficiem ter-  
ræ à sœcundis pluviis; Diuturniores enim pluvias, sterilio-  
res profunde humectatione terram imbuentes, potius pro-  
fundiore intra terram fuga evadunt. Et confirmat hoc tanto  
magis *salina nitrosa* substantia, velut immediatè ex ipsis per ar-  
tem obtinenda, & colligenda. Ex eadem ratione *simo veteri*  
magis copiosè appropinquant; minus vero *recentiori*, ob acri-  
moniam falsi & *urinosi* salis eidem adhuc inhærentem, quæ ple-  
risque omnibus mollioribus animalculis, odio & exitio est.

Placet addere exitium horum lumbricorum, quod à spe-  
ciali alio verme, quasi solenni ipsorum hoste, ipsis imminere.  
*Glaberus* præcipue commemorat, in *Pharmacop. Spagy. Part. II.*  
Ubi rem ita describit: Est Vermis martialis, colore niger-  
rimo tinctus magnitudine farinarium non excedens, multis  
pedunculis, crassitie calami scriptorii, & præter propter lon-  
gitudine membri digiti; tempore Vernali valdè est macilen-  
tus, circa ætatem autem adeo se sustentat & nutrit è lumbricis  
terrestribus, ut propter pinguedinem & crassitiem vix serpere  
possit: statim in terra se illis adjungit orificio suo satis morda-  
ci, optimum succum extrahendo: hunc hostem Lumbricus  
in terra non potest depellere, quare propter anxietates & do-  
lores è terra prodit; adhærente tamen adhuc hoste, & nullo  
modo cedente, tamdiu, donec se satis succo suo saturaverit, &  
turgidum reddiderit, posteaque libere decedit; Sæpissimè ob-  
servavit supra citatus *Glaberus*, & vidit, quod duo hi vermes  
diu certent extra terram, ita ut interdum minor, scil. hostis, al-  
terum valde lædat, quod acceptum vulnus autem iterum cura-  
rat, si mox in terram iterum repere potest, unde videmus & re-  
perimus in veteratis lumbricis multa vulnera, quæ tamen ite-  
rum sanata sunt, quæ ab hoc hoste antea inflicta fuerunt. Nota-  
bile est, quod hic hostis, si ex uno lumbrico optimum succum  
satis exhauserit, illum ita relinquat, & de novo se alii affigat



Accedit his, & longè frequentiore ac præfentiore strage Lumbricos afficit, dum in alimentum suum ipsos venatur, Talpa.

Arte etiam fugantur & necantur, tum *lixivio* communi, tum *muria*, tum *vitrioli* solutione in cuniculos & foramina ipsorum immisiss.

De magnitudine ipsorum, id unicum addendum quod diversa quidem instructi inveniantur, ordinario tamen vix ultra quatuor aut quinque pollices fabriles, & mediocris calami anserini crassitiem, ascendant; Interim aliqui illorum inveniantur, qui non modo, sex tales digitos longitudine superent, sed & olorum calamum crassitie æmulentur: qui an Zuccarole Itolorum apud Jonston: sint, non satis certum est.

Neque vero hoc ignorare licet, quod longe minus die, quam nocte, in superficie terræ proserpant. Unde ferè Pharmacopœorum famuli noctu, lucernæ adminiculo ipsos captant, & sæpè satis ubere venatione potiuntur.

Effodiuntur alias sub terræ & hortorum cultura, ubi præcipue hortulani, & ipsorum mercenarii, aliquot occurrerunt, ad experientiam suam provocantes, quod interdum quasi generales quosdam recessus horum Lumbricorum fodiendo offendant, spatiosam nempe cavernam, in qua aliquot millia, seu magnus acervus horum lumbricorum, ad aliquot mensuras nostrates, una degant: quod per hybernum præcipuè tempus fieri, & sub primi veris auspiciis facta terræ suffossione ita deprehendi tradunt: quod experientiæ certiori relinquimus.

Sensu quodam motuum in vicinia fientium affici videntur, prædictæ capturæ testimonio, ubi vegetiore incessu vel accursu, cito latebras suas repetere cernuntur, è quibus tamen, post aliquam moram iterum prorepunt.

CAP. II.

Usus & Abusus generales Lumbricorum

Terrestrium.

**U**T de propriis rerum naturalium finibus disputare anceps, & ferè sterile negotium est, sed magis de mutuis earum-



earundem respectibus atque usibus aliqua concludere licet; Ita in nostro quoque negotio, circa Lumbricorum Terrestrium proprium finem, quam obrem illi per se in mundo præsto sint, frustranea fuerit disquisitio: Quem vero alium usum præstare possint & soleant, & quos effectus, & actus qualescunque, edere observentur, ut manifestius deprehenditur ita quoque in considerationem venire meretur.

Ante omnia *nocumentum*, quod herbis aut radicibus inferre dicuntur, vix adeo manifestam fuerit, nisi in *tenerioribus* fortasse lactuæ, raphanorum, & similibus sativorum, *germinibus*; hæc enim interdum per noctem insigniter arrosa sequente manè reperiuntur, non apparentibus aliis circum lignis, præter ejusmodi *lumbricorum cuniculos* in vicinia conspicuos. Firmioribus paulò plantis, vix damnum aliquod machinari sentiuntur, in adultiores enim non ascendunt: neque radices violare deprehenduntur.

Aliis animalibus usum præstant, dum in *alimentum* ipsis cedunt ut non modo de *Talpâ* supra monuimus, s. d. etiam de *Gallinis*, *anatribus*, *turdo*, *corvis*, aliisque volucris, satis notum est. *Piscibus* gratissimi sunt quoties per imbres, & repentinos torrentes, è cavernis suis provoluti in flumina aut stagna deferuntur.

*Pluvias* prælagire censentur, quando pertusa quasi terrebello, terra, affatim foras erumpunt; expectantes nempe uberiorem humiditatem, cujus primordia in aëre humidiorè tunc temporis jam persentiscunt.

Præcipuus quem præstant usus, est *Medicus*. Adhibentur vero in genere contra affectus *nervinos*, *spasmodicos* seu *convulsivos*; adeo quidem, ut præcipuè, *dolorificis*: illis spalmis *Arthritidi*, ejusque *fororis* pathematibus, *hypochondriaco* *scorbuto* *opponantur*: quin etiam strictius & manifestius *convulsivis*, & omnino *Epilepticis* Symptomatibus, non sine efficaciâ adhibeantur.

Ad *Icterum* quoque laudantur, præcipuè cum ille morbus per frequenter tale quiddam *spasmodicum* involvat. *Lactis defectui*



*defectui* succurrere observantur; certe non multum ab simili agendi modo: siquidem omninò ad generationem quoque seu *collectionem* sive *admissiones*, lactis in mammas, *motus* *tonici* varium moderamen, adeò multum potest, ut etiam sæpe numero *stricturem* ipsarum pertinaciorem, quæ *effluxum* lactis præsentaneè cohibuit, nuda *frictio* lenis, quasi titillatoria molli *excursu* peracta, velut in momento ita dissipet, ut non modò emissio, sed Spontanea *erupcio* lactis, promptè subsequatur.

*Diureticam* etiam efficaciam habent, quam quidem paulo magis *positive*, ab *irritatoria* quapiam provocatione pendere vulgo suspicantur: sed an pleno jure, merito dubitari potest. Siquidem adeo insignis *diuresis*, usum lumbricorum consequi minimè observatur. Unde quidem potius in afflictis tantum viis urinaris, adeoque *spasmodicæ* harum partium *stricture*, portionem & veriorum suam efficaciam præstare, notabunt circumspicientes.

Ut verò alias *Diuretica* quædam, præcipuè vero efficaciora seu *stimulantia*, *Aphrodisiacis* quoque effectibus destinantur; quod quidem etiam omni *consensu* non caret, tam quoad membri virilis *erectionem* extimulandâ, quam quoad ipsum *spermatiorum* organorum aliquam extimulationem: utpote cui etiam illa insignis efficacia *Cambardum* in Gonorrhæa inveteratâ cum debita circumspessione adhibitarum, inniti videtur: ita hi ipsi quoque lumbrici nostri Terrestres efficacia hujusmodi *aphrodisiaca* infimulantur, neque æque in tota sua substantia, sed *excrementa* tantum illorum, & quidem, jubente præscriptione, circa *scrobiculos* ipsorum, mensè Majo vel Junio collecta, ubi teneri *limi* forma ipsas horum foraminum circumdare conspiciuntur. Quamvis etiam, si aliqua ipsorum lumbricorum quantitas capiatur, & sic fatis mundi in vitrum aut ollam conjiciantur, paucarum horarum spatio hoc ipsum *excrementum* ita copiose emittant, ut quasi pro tegumento ipsis inservire possit, sub quo, tanquam alia terra, jaceant.

Contra ipsos lumbricos *Intestinales* quoque à plebecula dari solent, quod *an tuto* fiat? quærit *Semmercus* lib. III. Præct.

Paralip!



Paralip. 3. pag. 179. dicendo *negativam*, idque ex observat. *Henr. ab Heer* observ. IX. dum scribit: se non probare consilium, vel vulgi vel interdum quorundam Medicorum, *verminosis* pueris vermes vino lotos, & integula exsiccatos, exhibentium. Certo enim sibi, se experientia edoctum, persuadere, materiam illam vermium putrem putri puerorum pituitæ remixtam, à magno illorum calore iterum animari, ut videmus muscas submersas multis diebus mortuas, si non premantur, nec simpliciter extinguantur, foli denuò expositas, novo calore iterum vitam volatumque, ut & pediculorum pelles, in puerilibus capitibus & vestibus relictas, amissam inter ungues & pectinem animam, recuperare: Ideo, ait, hæc cautio a Practico notetur sedulo. Incidit verò hæc occasione etiam consimilis effectus, è lumbricis *humanis*, pulveretenus in corpus assumtis, similiter proventum vermium induci; Observatio hujus generis est apud *Tabernæmontanum*, ubi ex malitiosa tali propinatione à circumforaneo, autori hoc sponte confitente, factâ, propullulatio talis evenerit, quam ille deinceps suis medicamentis denuò ejecerit. Historia, cum animadversionibus Autoris, est apud eundem in *Descript. Santonici*.

De *regeneratione* quoque lumbricorum *Terrestrium* ex eorundem putrefactorum magmate, observatio, licet minus exquisita, est Act. N. C. Decad. II. ao. 8. p. 202. ubi pariter de periculosa illa lumbricorum contra Lumbricos exhibitione, quædam afferuntur.

*Anodynum* quoque effectum tribuunt Lumbricis *Terrestribus*, Vix autem aliter, quam quatenus *motus spasmodicos* mitigant atque tollunt, illum perpetraverint. In aliis enim casibus, *anodynam* virtutem nemo ab illis expectaverit cum successu.

Ad *Hydropem* qui commendant, partim *diuretica* partim *antispasmodica* efficaciz intuitu illud agant necesse est: & possunt hoc ipso modo efficaciam aliquam hic exerere.

Commendantur his nominibus hinc inde apud *Autores*, tam magis dogmaticos, *Jonstonum*, *Samuel: Dale*, *Petrum Vffenbaeb*, *Joach. Lansonium*, *Möllenbrocium*, *Drawitizium*, & specialissime,



sime, interposita propria sua, & multiplici quidem experientia, a *Johanne Wicro*, in libello de Morbis haecenus incognitis, & quibus hunc inde alii tranſumendo commendant.

Censoriam vero virgalem interponit *B. Ludovicus* in Pharmac. sua, sequentibus verbis, Lumbrici Terreſtres, in se abominabiles, in *calculo pellendo* profecto haud magni momenti: pro *diuresi* in aliis affectibus, *hydrope*, *ischuria*, & (cui tantoperè in specie commendantur) *arbitrariae vaga*, tot acceptionibus, imò praesentioribus *diureticis*, reverà posteriores: ceu *Spiritus Tartari*, *calcis viva*, *Tinct. Martis*, *Arcanum Tartari*, *Cinabarinorum*, *Opiatorum*, ac *Praecipitantium*, usu, æque felices progressus fecimus in vagabundo illo dolore: etiam plerumque citra *Purgantia* ista, quævis *Topica*, atque *Insessus*, contracturarum ut plurimum autores. Unde absit semi rusticus ille *expressus* (lumbricorum) *succus*: qui tamen aliàs, cum *Spiritu Vini*, valet ad gangrænam lumborum ex longo decubitu: absit preparatorum perlevis *Pulvis*, leviusque, tam in pondere, quam in effectu, *magisterium*, è Spiritu Nitri cum oleo Tartari præcipitatum: *Spiritus* per se inde destill. phlegmaticus, paucoque Sale volat: conditus, curiosorum: *abstractivus* vero, Lumbricorum infusione alteratus haud quoque conveniens est. Solum restat oleum, idque simplex tantum, (cum compositum additione olei *Rorimarini* ex tempore haberi queat) variis in affectibus præcipuè nervosarum partium, utile. Haecenus *B. Ludovicus*.

Certè, ut intentio & labor hujus Viri, in hoc opere, maximam laudem meruerunt, & in plerisque etiam tuentur; ita certissimum tamen est, quod aliquot horum generum *epicrisibus* justo magis stringere res videatur, præcipue in *specificis* simplicium virtute damnandâ. Circa quam, nimiam credulitatem quidem dissuadere, nescio an nostro ævo amplius necessarium sit, ubi experientiæ defectu, & Theoriæ à priori æterna caligine propemodum inter res deperditas numerari caperunt: absolute verò omnia negare, ut experientiæ claro testimonio, adeoque veritati, contrarium est, ita & praxi medicæ, in genere non rarò magnum damnum affert, & existinationi pra-



practici per frequenter labem affricat, quando *vetula balneator, opilio*, vel alius empiricus, *simplici* aliquo medicamento, bona fortuna *tempeſtively* exhibito, tantum efficit, ut talis Medicus non niſi *magiarum* artium abuſui id ipſum adſcribendum iudicans, non raro aliorum riſui ſeſe exponant. In hoc ipſo itaque etiam caſu noſtra facimus verba B. *Ermulleri* ad hunc ipſum locum autoris, in *Colleg. ad eundem*, dicta: *Hos (Lumbricos) quidem damnat autor: interim ego laude afficiendos puto.*

Efficacia Lumbricorum adverſus ipſam *Epilepſiam*, nobis certe haecenus apud pauciſſimos Scriptores occurrit; Et certe nemo quiſquam jam ſuccurrit, præter *Paulum Barbetæ, Theodor. Mayerne*, qui in praxi ſua, in loco de *Epilepſia*, ſub catalogo remediorum, contra hunc effectum proficuorum, *lumbricorum* quoque horum mentionem faciunt, licet non magis quam ſolo verbo. Exc. *Dolæus* tamen ut ſecretum allegat.

Qui vero in Praxi iis hoc nomine utantur, plures fortaiſis fuerint, quamvis nobis minus cogniti neque notæ effectus, quem inde experiuntur felicitate. Unum certo novi, *Experientiſſimum Dominum Johannem Auguſtum Hermannum, Medicina Licentiatum & Phyſicum* Calæ Altenburgicæ, Medicum Doctiſſimum & Curioſiſſimum, qui uſum & expertam efficaciam horum animalculorum adverſus *Epilepſiam*, debite exhibitorem, benevole mecum communicavit, & ſucceſſu conſtantem, quo eſt candore, ſerio aſſeveravit. Quod item *D. D. Preſes* calculo ſuo absolute confirmat, & ab experientia ſæpius inſtituta, teſtimonium verum perhibet.

Quæ certo efficacia, contra huiusmodi horrendum in oculis humanis affectum, fruſtra fere, & abſque veritate in numeroſis aliis, pretioſis, & alio ſenſuum lenocinio arridentibus, quaſitus non ſiverit vermiculos hoſce abominabiles adeo haberi; Sed potius divinæ benignitati gratias immenſas decernere ſua debet, quod rei quam nos vix aſpectu noſtro dignaremur tantam efficaciam indiderit, quam nos ulla noſtra ſapientia, ibidem ſuſpicari, nedum deprehendere aut ulla noſtra arte imitari aut compenſare, veraciter non valeamus.

In



In *Sexu feminino* specialiter, ad *menses* expediendos allegantur similiter lumbrici Terrestres; Sed efficacia certe non modo *leviore* præditi hic sunt, verum etiam magis forte ope & intentione *diuretica* hic commendantur, quam ullatenus directe *emmenagoga*.

Notamus vero merito, quod omnem, quam ad hæc genera affectuum exerunt, energiam, magis exhibeant sine artificiali longinqua *preparatione*, simpliciter admodum, ad commodiorem saltem assumptionem, prædispositi.

Quod uti de plerisque *Specificis* Medicamentis revera ita valet, ita de hoc etiam simplici tanto magis observari mereatur; quia ex eodem, citra *ignis* aut *putredinosa* corruptionis concursum, vix quicquam Speciale elici valet: his ipsis vero actibus, & violentis *mixtionis* perturbationibus, nostra quidem sententia, potius a specifica sua energia deturbatur, quam ut in eadem vel exaltetur, sive illa a reliquis, alienis, inertibus, aut quasi feculentis, portionibus, separari, & quasi *concentrari*, hac methodo possit.

Quia tamen in talibus fere quilibet suo sensu abundat; tum etiam ut uno conspectu simul exhibeamus, quænam producta ad quemcunque etiam usum & effectum, e Lumbricis, *Chymica*, aut qualibet alia, *Arte* parari soleant, subjungemus præparatorum ex lumbricis recensionem.

Adhibentur vero Lumbrici Terrestres ad affectus hætenus allegatos, vel *introrsum* in corpus assumendi; vel *extrinsecus* tantum applicandi; sive præparatione artificiali in diversa schemata transformati sint, sive ita nude, in tota sua substantia, recentes, imo adhuc viventes, aut exsiccati, pulverisati. Transimus itaque tum ad has ipsorum *preparationes*, dum denique ad præparatorum illorum, *assignmentes*.

CAP. III.

### Lumbricorum Terrestrium variæ præparationes, & nascentia inde producta.

**P**reparationes Lumbricorum Terrestrium sunt vel *simpliciores*, & proinde parum aut nihil *alterationis* peculiaris infere-



inferentes; vel cum insigniore *inversione* mixtionis & texture conjunctæ.

Prioris generis sunt (1.) *Succus*, (2.) *Siccatorum pulvis*, (3.) *Liquamen* ex iisdem, cum vel sine *caloris* concursu & adminiculo, (4.) denique *Aqua* ex iisdem prolicienda, & (5) *oleum* ex ipsis paratum.

Pro *Succo* eliciendo, *recentes*, imo *vivi* contunduntur in mortario, & *conteruntur* quantum possibile, *lapideo*, *vitreo*, aut ad summum *ferreo*; exprimuntur inde per linteum aut laneum, aut setaceum incerniculum.

Promovetur vero longe magis hæc operatio, per additionem liquoris cujusdam, post contusionem & *trituram* paulatim admiscendi, & ita una exprimendi. Adhibent huic fini communiter *vinum*, idque commode.

Usurpavit hanc formulam præcipue *Johannes Wierus*, utpote qui etiam inter primos efficaciam insignem lumbricorum a vulgi experimentis ad medicum usum, cum bono effectu, & tum sui, tum ægrorum commodo, transtulit; Non fecus atque *Heinricus*, Filius ejusdem: prout utrorumque in hoc medicamento felicitatem annotat atque celebrat *Mallenbrock de Varis*, pag. 240. &c.

*Exficario* illorum, pro *pulvere* inde parando, nihil peculiaris in recessu habet, nisi quod admodum singulatim, asseri lævigato aut *vitrea* vel *lapidea* tabulæ imponendi sint, & ita ad siccescentiam, quæ satis prompte succedit tempore per se *cauldioræ*, mensis *Maji*, *Junii*, *Julii*, seponendi.

Alia vero, inter scrupulosiores non levis, quæstio incidit, an in *Sole* ipsos siccare liceat? an vero solum in *aura umbrosa*, vel etiam, incidente tempore pluvio minus congruo, in *hypocausto* leniter repositi.

*Maxvellus* certe in *Medicina* sua *magnetica*, eam efficaciam tribuit *Solaribus* radiis, ut quælibet *simplicia*, & nominatim ipsa *vegetabilia*, ab insolatione tali, in nativa sua *efficacia* mirum quantum auferere, persuadere nitatur. Sed quemadmodum in hoc, parum assensus à *Practicis* expectare poterit; præcipue

C in





in illis simplicibus, quorum potissima *specifica* efficacia in *Sulphureo Volacili* substantia residet: ita de paulo *fixioribus* quoque, adeoque & ipsis nostris *Lumbricis diuturna* æstus solaris admissione cum aëris libero perpetuo concursu aliquid alterationis & damni accedere posse, nullum nobis est dubium.

Ne tamen prolixi hic sumus, moderatam, & quanta solum ad desiccationem fatisciat, repositionem Lumbricorum nostrorum in Solares radios efficacia eorundem etiam quantumcunque *specificæ* nihil præjudicii aut damni afferre, non solum *rationis* probabilitate, sed ipsa *experientia* probatione asseveramus. Unde scrupulosos hic esse, nulla necessitas exigit: cui tamen dubius est animus, quocumque leni calore alio, si aëris etiam umbrosi energia per tempestatem minus sufficiat, secure uti potest. Illud ipsa experientia monstrabit, quod si duo tales lumbrici in illa ad resiccandum sepositione, sibi mutuo impositi jaceant, & paulo segnius ipsa desiccatio sequatur, quod tunc, reliquo corpore siccescente, in illa sui complicatione, non modo diutius humidi restitent, sed & actu *deliquescere*, imo graviore *odore* corripui incipiant. Quod propterea monere placuit, ut tanto magis rationi succurrat, quod in *coacervatione* horum vermium adhuc auctiore, tanto plus utique incommodi circa successum *exsiccationis* talis, imminet. Unde mihi certe *exsiccatio* illa, in *Balneo, sub alsmbico*, ut in ratione statim dubia & suspecta fuerat, in Praxi succedere, nempe in Lumbricis Terrestribus, perpetuo recusavit, & quidem enormissime, quotiescunque cum paulo *largiore* quantitate tale quid in effectum deducere tentatum fuit. In *humili* vero vitro, & *amplioris* cœli, & cum *pauca quantitate*, & tamen plus quam res mereatur necessaria circumspectione, ante omnia *temperato tepore*, paulo facilius succedit tentamen.

*Pulverisatio* non modo illo quasi momento, quo institui debet, tanto majorem *repentinam desiccationem* poscit, sed etiam *tundendo* nunquam, sed unice & modeste quidem *terendo*, in effectum deducitur: Et insuper *exigua* prorsus quantitate, paucorum *granorum*, pro qualibet vice assumta.

Pro-



Promovetur vero etiam commode, *additione* levis portionis *terrei* cujuslibet concreti; quamvis propria ipsorum terreo limosa *recrementa*, quæ intra corpus eorum restant, communiter huic fini sic satis velificentur.

Occasione hujus ipsius *excrementitie* substantiæ, si cui, nobiscum, minus efficax videatur, attingimus ipsam Lumbricorum *mundificationem*. Fit vero, dum vel *vivi*, musco terrestri siccescenti, imo & *arboreo*, injiciuntur; cujus *asperitate* compuncti & offensi, hanc depositionem contentorum in suo corpore non aliter peragunt, quam in ridiculo, sed tamen *famosi experimenti* loco allegari solito casu, quando in *Pediculo*, miculæ therebintinæ agglutinato, vel alias agitato, vulgo *circulatio sanguinis* spectari posse dicitur, cum nihil aliud sit, nisi sanguinis ex humano corpore educi, & cibi loco in ventriculo & intestinis hujus insecti adhuc latentis, portio, quam etiam proinde parvo temporis spatio, *ex alvo*, manifesto, & citra microscopii necessitatem, deponit. Quod quidem hujusmodi animalculis generatim adeo familiare est, ut etiam *Serpens* ranam deglutitam, si mox manibus multum tangatur aut vexetur, citissime per totam longitudinem intestinorum depellat, & paucissimo tempore iterum integram *uram* rejiciat.

Simile quid faciunt Lumbrici, si *Lana* aut *panno* laneo *aspero*, aut texto *setaceo*, imponantur. Idem agunt, si guttula *vini* tangantur, aut *Spiritus vini* mediocris.

Unde communiter in *vino* eos lavant Pharmacopola, tam ad *externarum* sordium, ab ipsa terra adherentium, quam horum intestinorum *recrementorum* elutionem.

*Liquamen* è Lumbricis Terrestribus fit, primo *sine igne*; si *vino* inperfo enecti, debiliore *spiritu vini*, & quidem paulo *largior* ipsorum quantitas, sive in patulo & pando aliquo vase, sive in *vitro*, in cellam collocentur, ubi unius vel alterius diei spatio, in liquorem submucidum fatiscunt.

Concurrente mediocri calore, contingit idem, & brevior quidem tempore, si in *Balneo*, mediocriter calido, detineantur. Paucissimo tempore fit idem successus, si Lumbrici vitro



apro conditi, cum hoc, *massa panaria* obvoluto 'in' *clibanum* collocentur. Ita spatio temporis, quanto crassior panis percoqui potest, in *liquamen* fatiscunt.

Omnibus his *liquaminibus*, quo plus adhuc *excrementi* secum detinuerunt Lumbrici, eo plus etiam similis *fabulosi* & *limosi sedimenti* inest.

Habent hæc *liquamina* levem odorem, quasi *oleaginosum*, seu subpinguem, ad olei tamen olivarum vestigium, sed subrancidi, aspirantem.

*Aqua*, sine ulla notabili encheirisi, destillatur è recentibus, ex B. M. satis calefacto. Quem *compositæ* hujus generis, *Aque* aut *Spiritus* afficiunt, ille vel ex descriptionibus easdem petere, vel adjectis simplicibus, eidem scopo, cui hanc *Aquam* destinat, accommodatis, easdem parare poterit. Satisfacit verò hujusmodi intentionibus aquarum talium alias seorsim profantium *extemporanea* commixtio.

*Oleum* Lumbricorum, per *infusionem lenem* decoctionem, parabile est; cum vel sine vini additione. Imo expedit Lumbricos *vivos*, sine longinqua mundatione in insigni copia, *oleo* vix languidissime tepenti, ita successivè injicere, ut recens non addatur, nisi priore jam emortuo: & tunc demum, & quidem in vase maxime pando, calore diurno temperato univèrsam quasi percoctionem peragere.

Cum notabili *alteratione*, parantur è Lumbricis *Spiritus* & *Sal volatile*, simulque *oleum empyreumaticum*.

*Spiritus* præparatur vel è *siccatis* simpliciter, ubi tamen fricte dicendo *Spiritus* quasi nullus, sed unice *Sal volatile* & *oleum empyreumaticum* prodeunt. E non *siccatis* autem, nihil fere, nisi *phlegma empyreumaticum*, cum *oleo* succedente simili, & longe parciorè *Sale volatile*.

Præviâ *putrefactione* paratur *Spiritus*, dum magna quantitas Lumbricorum, in vase mediocriter obrurato, per aliquot dies *putrefactioni* relinquitur; & deinde, *moderato* calore, *Spiritus Volatile* *Sale* imbutus è cucurbita atiore destillatur. *Odore*



verò nauseosissimo putrilaginoso communiter imbutus est hic *Spiritus*, simulque nisi *rectificetur*, fere magis *phlegmaticus*.

Alia methodo fit ex hoc putrefacto magmate hic *Spiritus*, paulo etiam *penetrantior*, & minus *foetidus*, si illud affundatur *calci viva*, & ita leni calore destillatio peragatur: quamvis quidem, si major copia fuerit materiae, *calx viva* spontanea incallescetia ferè ascensui potioris partis *Spiritus* præcipiti satisfaciat.

*Salvolatile*, tum *e siccatis*, ut paulo ante dictum, proficiscitur destillatione ignis nudi; tum *e putrefactis*, in phiola paulo capacioris, sed longioris colli: tum etiam ex ipso *Spiritu*, rectificando, temperatiore calore.

*Oleum empyreumaticum*, præcipue sub hoc eodem labore, *e siccatis*, prodit; tum etiam è quocunque ipsorum liquaminum aut destillatorum *residuo* magmate tandem subsequitur, igne ad incandescentiam usque continuato.

E spontaneo illo *liquamine*, quod e magna copia Lumbricorum in *cella* fit, si clarum decantatum, leniter evaporet quadantenus; residuo vero parum *Salis alcali fixi* addatur, & leniter adhuc paulo amplius evaporetur; quod remanet denique spissusculum, in locum frigidiorum reponatur, *nitrosi* *Salis* quiddam concrefcit. Sed opus est omnino cauta operatione.

*Composita* præparata, soli additorum energiae debent, quicquid ab illis peculiare sperari potest.

*Essentiam* hoc modo parare è Lumbricis jubent in Coll. Chym. Leydens. cap. 221. Recipiendo Lumbricos Terrestres, quo rubicundiores & majores, eo melius, partes IV. *Salis Tartari* part. II. *Spiritus vini rectificati* part. VI. digerantur simul per 3. vel 4. dies; Clarum effundatur, & recentibus Lumbricis affusum, denuo cum iisdem, per diem 1. vel 2. ita digeratur: denuo decantatum quod clarum est, fervetur nomine *Essentiae Lumbricorum*.

B. Michaelis jubet Spiritum illorum reaffundere capiti suo mortuo, & ita extractum iri *Essentiam*.



Directio præparationum ad debitos Usus.

**R**es summi in Praxi momenti, de effectu medicamenti ad morbos, sine vanis pollicitationibus & mendacibus jactationibus eorum, qui illud commendant, vere certum & securum esse. Proficiscitur talis certitudo, tum active è *practica experientia*: & terminatur passive, ut imitando veritas ejus ita deprehendatur, in sola praxi. Sed, ò quantæ in hoc genere occurrunt fallaciæ, & quam infelix est ille Practicus, qui frivolis hujusmodi traditionibus spem aut fiduciam suam superstruens è theoretico hujus generis studio magnam sibi facilitatem curandi animo morbos proponit!

In nostro negotio, ut alibi sæpe in consimilibus, sane valde solenne est commendatos legere Lumbricos, sed communiter vel ita *generaliter* & obiter, ut expertam, præcipuè effectu dignam efficaciam, scriptori notam fuisse, & experientia ejus comprobata, inde suspicari revera nefas sit.

Alii ita ex altero autore propriis ejus verbis transcribunt, quicquid de ejusmodi effectu proponunt; suam vero experientiam desuper, ulla addita expressione, dissimulant, ut nude allegationis, nullius vero confirmationis loco Lectori curioso & studioso servire possint.

Certe, ne quemquam hic oneremus de efficacia Lumbricorum in *Arthritide*, nemo fere quisquam ita *audacter* & *historice* eloquitur, ut unus *Wierus* & forte *Drawizius*: Reliquorum vix quisquam est, quin nude ad istorum autoritatem & fidem provocet. Inter quos certè magnopere est *Mollenbroccius*, quem mirum est, ut fere alibi passim, ita & hoc quoque loco, vix verbum profari, quo aliorum testimonia, quæ colligit, confirmet, nisi quod fidem se illis adhibere undique profitetur.

Efficaciam tum *Spiritus*, tum *decolti*, tum *succi* expressi, & *pulveris* in *Arthritide*, frequenti experientia sibi comprobata, asseruit mihi *Excellent. D. D. Cellarius, Archiater Illustrissimorum Comitum Schwarzburgensium, & Practicus celeberrimus, Affinis Honoratiss.*



ratissimus. In *Convulsis* affectibus, & ipsa *Epilepsia*, *Specificam* prorsus efficaciam: in *Paralyfi* cruris, cum *Urinæ* suppressione, præmissis universalibus, *Spiritu Lumbricorum*, per *putrefactionem* parato, feliciter patientem restituit.

In *Hydrope*, hortulanum quendam ex diætæ vitiis *Astitem*, cum paucissima mictione perpeßum, solo hoc *Spiritu*, e cerevisia medicata amaricante per aliquot dies exhibito, feliciter curavit, procedente ad stuporem largiter *urina*.

Circa *Abusum* hoc observavit in murario, *arthritide Vaga* laborante, quod ille quidem a *succo Lumbricorum* cum vino expresso, & *pulveris* eorundem, quotidiano usu, paulo post, doloris mitigationem, & cruris, quod simul quadantenus resolutum apparebat, promptum motum obtinuerit, sed cum superveniente valde dolorifico *Urinæ ardore*, quasi a *canibardibus* aut *vermibus majalibus*.

Ad *Epilepsiam*, Excell. quoque *Doleus* in Encyclopædia, *secreti* nomine licet ab ignobili autore sibi revelatum, nobile tamen medicamentum vocat. Scribit se ejus usu, per tria novilunia, repetito, duos juvenes XIV. annorum restituisse.

Convenit cum hoc experientia supra laudati *Excell. D. L. Hermanni*, licet in modo exhibendi, & dosi notabilis differentia sublit.

Quod *Arthritidem* attinet, eximios illos, & præsentissimos effectus, ipse *D. D. Praeses* non observavit, ob contumaciam Patientium. *formulam* hanc paulo magis nauseosam detrectantium, exceptis duobus Casibus, quorum altero, *femina* tolerabilioris arthritidis sensibile levamen e pulvere *Lumbricorum* copiosius assumpto, obtigit: altero *Viro* ad 40. annorum, *venatori*, qui cum tractatum *Wieri* vernacula ipsemet haberet, doloris vero *Ischiadici* primordiis obrueretur, proprio consilio *Lumbricis* recentibus, ita in succum redactis, iteratis vicibus usus, cito tunc liberatus est, & per aliquot annos ita servatus. Recrudente vero tunc eodem affectu, licet admodum langvide, nullum præsidium e denuo usurpatis *Lumbricis* obtinuit; unde, quæ est hominum credulitas, neque pristinum æque dolorem hunc esse posse, suspi-



fufpicatus, imaginatus fibi potius est, fe sibi saltu trans rivum, quem nuperrime fecerat, *luxationem* aliquam in coxis contraxisse. Et referebat idem de plebeja hujus remedii experientia, sibi satis nota plurima.

Ex aliis vero operosius *preparatis* e Lumbricis, *Spiritu, Sale Volatili, Essentia*, nullum se unquam speciali effatu dignum operæ pretium facere potuisse, candide fatetur, & subscribit utique in hoc B. Ludovici asserto: In eo tantum dissentiens, quod *simplicio*rem illam exhibitionem, si occasio illam recte perpetrandi, & diutius continuandi, obtingat, minime negligendam, sed utique experientia ulteriori excutiendam, arbitretur, quod quidem sibi rarius obtigisse dolet.

In *Hydrope* experientiam specialis effectus quam interponat, non sibi obtigisse, fatetur.

In *Epilepsia* vero consentit cum modo allegato postremo Dn. Hermanni, asserto propria experientia sibi abunde comprobato: licet quo ipse utitur *Specificum Epilepticum*, de lumbricis tamen his participans methodum adhuc una vel altera circumstantia exactiorem poscat, sed & tunc, sub divina gratia, effectus fere indubii sit.

Quod eximie notemus, hoc est, quod ad omnes hos effectus non nisi *nihil* omnino, aut *minus* tamen violenter *alterati Lumbrici*, proficui sint.

*Ignis nudo* paratus *Spiritus* ab aliis *salibus Volatilibus urinosis*, quod alio notabili specifico effectu amplius discrepet, donec manifesta & constans experientia interponatur, merito dubitamus.

*Externo usu* quem edunt magis specificum effectum, similiter non alterati, *vivi* præcipue impositi præstant. Ubi non abs re est, parti affectæ ita immortuos, non ita temere abjicere, sed alio, ubi putrescere promte possint, seponere. Applicantur vero ita præcipue *Panaritis*; tum etiam membris dolore *Arthritico* infestatis.

Hanc methodum & alia *specificis*, & ipsos *Lumbricos*, tali intentione, *nihil alteratos* usurpandi, commendamus; non male fundatum agnoscens in contravenientes convitium & sarcasum Paracelsi, *boni ungeschick*: quod nempe experimenta, bonâ fortunâ inventa, & simplici perpetracione succedentia, dum Sciolis variis speculationibus & inventionibus meliorare imaginentur, cum causarum nullam habeant notitiam, communiter totum experimentum destruant & perdant. Quod absit!

SOLI DEO GLORIA,



Ua 5316

ULB Halle 3  
004 109 724



sb


WMT











53  
37.

DISSERTATIO ACADEMICA  
DE

**LUMBRICIS TER-  
RESTRIBUS EORUM-  
QUE USU MEDICO,**

*Quam*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,**

ELECTORATUS BRANDENBURGICI HÆREDE,  
&c. &c.

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,  
SUB PRÆSIDIO

**DN. GEORGII ERNESTI STAHL,**  
MED. D. ET PROF. PUBL. ORDINARI,

*Dn. Patroni & Præceptoris sui omni ob-  
servantia cultu prosequendi,*  
Publicè ventilandam proponit

**JOHANNES CHRISTOPHORUS FRITSCHIUS,**  
SCHWARZBURGICUS

*Ad d. Decemb. M DCXCVIII. Horis antemeridianis.*

---

RECUSA HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
LITERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP. 1718.